

Alte Drucke

**THESES THEOLOGICÆ || De || PERSONA CHRISTI. || QVAS ||
JUVANTE DEO || PRÆSIDE MATTHIA MARTINIO S. S.
THEO-||LOGIÆ IN ILLUSTRIBUS HERBORNENSIS SCHOLA || ...**

Martini, Matthias

Herbornae Nassoviorum, 1600

VD16 ZV 31086

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148933

19

THESES THEOLOGICÆ
De
PERSONA CHRISTI.

QUAS
JUVANTE DEO
PRÆSIDE MATTHIA MARTINIO S. S. THEO-
LOGIÆ IN ILLUSTRİ HERBORNENSI SCHOLA
Professore, publicè defendere conabitur

JOHANNES GREVENBURGIUS
Bremenſis.



HERBORNÆ NASSOVIORUM
Excudebat Christophorus Corvinus Anno 1600.

REVERENDO CLARISSIMO DOCTIS-
SIMOQ VIRO DN. CHRISTOPHORO PEZELIO
S. S. THEOLOGICÆ D. AC PROFESSORI SCHOLÆ
Bremensis ejusdemq; Ecclesiæ Inspectori.



REVERENDO CLARISSIMO DOCTISSIMOQ
VIRO DN. URBANO PIERIO S. S. THEOLOGICÆ D.
ac Ecclesiæ ejusdem Pastori vigilantissimo.

NEC NON

REVERENDO AC DOCTO VIRO DN. CHRI-
STOPHORO STENIO COLLEGÆ SCHOLÆ
Bremensis fidelissimo.

MÆCENATIBUS SUIIS SUMMA OBSERVANTIA
COLENDIS

In gratitudinis testimonium ac amoris
τεμπηλορ

*Hasce suorum studiorum pri-
mitias*

inscribit & offert

RESPONDENS.

THESES THEOLOGICÆ

De

PERSONA CHRISTI

THESIS I.

Servator noster Dominus Jesus Christus patrem suum alloquens Joh. 17. v. 3. ait: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum. Hunc verò ut cognoscamus solidè, necesse est, ut personam ejus, officium & beneficia teneamus. Nos hac disputatione de persona tantum agemus.

II.

Persona Christi est unica *a* individua substantia, unigenitus *b* nimirum Dei filius, qui in plenitudine temporis, virtute Spiritus sancti *c* ex virgine Maria sibi verum corpus *d* humanum animam humanam *e* præditum unionem personali *f* assumpsit: atq; ita est verus Deus & verus ac justus homo *g*.

a 1. Tim. 2. 5. *b* Johan. 1. 14. & 3. 16. *c* Gal. 4. 4. *d* Heb. 10. 5. & 2. 14. *e* Matth. 26. 38. *f* Coloss. 2. 9. *g* Matth. 1. 23. Rom. 9. 5.

III.

In hac persona considerandæ sunt Naturæ, quasi partes personæ Mediatoris, & naturarum unio.

IV.

Naturæ sunt duæ: Divina, & Humana.

V.

Divina Christi natura est secunda persona Deitatis, quæ humanam naturam ex Maria virgine suscepit & sibi univit, ut in unitate ipsius subsistat.

VI.

Humana natura est substantia creata, corpore humano & animam rationali constans, operatione Spiritus sancti concepta, & ex Maria virgine nata *a*, unde nobis similis est per omnia *b* excepto peccato *c*.

a Luc. 1. 35. 42. Heb. 2. 16. *b* Heb. 2. 17. *c* Heb. 4. 15. & 7. 26.

VII.

Proprietates humanæ naturæ sunt duplices, essentielles & accidentales: quarum illæ perpetuæ, hæ temporariæ.

VIII.

Essentiales sunt, quæ semper & inseparabiliter in sunt; quibus sublati, natura ipsa tollitur. Unde tritum est axioma: Tollens vel confundens proprietates, tollit vel confundit naturas.

IX.

Essentiales sunt vel communes vel speciales.

X.

Communes sunt toti naturæ, id est animæ & corpori competentes, ut creatum & finitum esse.

XI.

Speciales sunt in anima vel corpore tantum. In corpore, quod certâ sensibili quantitate, figurâ & dimensione constat: ut, quod longum, latum & profundum est, & sub visum ac tactum cadit: in anima, quod est incorporea, intellectu, memoriâ & voluntate prædita.

XII.

Statuimus igitur, corpus Christi esse & manere verum corpus, finitum & circumscriptum, & non ubique præsens, etiam post resurrectionem & glorificationem. *Matth. 14. 26. 27. & cap. 28. 6. Luc. 24. 39. Joh. 14. 2. 3. & 20. 27.*

XIII.

Accidentales sunt, quæ non semper, sed separabiliter homini insunt, & mutari ac separari rursus salvâ naturâ queunt.

XIV.

Hæ ratione duplicis status Christi distingui possunt in eas, quæ sunt infirmitatis, & quæ sunt gloriæ: utriusque status proprietates considerantur vel in tota humana natura, vel in anima tantum, vel in corpore tantum.

XV.

Prioris, in tota humana natura sunt dolores & cruciatus varii.

XVI.

In anima, sunt incrementum sapientiæ apud Deum & homines *a*, ignorantia ultimi diei *b*, tristitia *c*, metus, admiratio *d*, commiseratio *e*, indignatio & ira *f*.

a Luc. 2. 40. 52. b Marc. 13. 32. c Matth. 26. 38. & 27. 46. Heb. 5. 7. d Matth. 8. 10. Marc. 6. 6. e Matth. 9. 36. f Matth. 16. 23. Marc. 3. 5. & 10. 14. Joh. 11. 33. 38.

XVII.

In corpore, sunt incrementum staturæ *a*, fames *b*, sitis *c*, & actus ipse edendi ac bibendi *d*, lacrymæ *e*, defatigatio *f*, somnus *g*, mors *h*.

a Luc. 2. 40. b Matth. 4. 2. & 21. 18. c Joh. 4. 6. & 19. 28. d Matth. 11. 19. e Luc. 19. 41. Joh. 11. 35. f Joh. 4. 6. g Matth. 8. 24. h Matth. 27. 50.

XVIII.

Posterioris status proprietates in tota humana natura sunt conditio & vita beatissima, immortalitas, potentia superans omnium creaturarum potentiam.

XIX.

In anima, sapientia perfectissima, lætitia superans omnes creaturas. *Coloss. 2. 3. Heb. 1. 9.*

XX.

In corpore, excellens gloria cælestis seu fulgor. *Matth. 17. 2. Philip. 2. 21.*

XXI.

Hæ proprietates quamvis omnium angelorum & hominum conditionem superent; sunt tamen finitæ, ideoque infinitis deitatis proprietatibus inferiores.

XXII.

fol. 203. Sequitur unio hypostatica naturarum, quæ est copulatio talis, qua natura humanam ex virgine Maria assumptam unione sibi propriam fecit

fecit ἀτρέπτως sine mutatione, ἀδιαιρέτως sine divisione, ἀσυγχύτως sine confusione, ἀχωρείτως inseparabiliter, ad fœdus inter Deum & homines electos sancendum.

XXIII.

Hanc definitionem ut rectè intelligamus, aliquantò plenius eam explicabimus.

XXIV.

Efficiens causa est λόγος cum patre & Spiritu sancto. Coniunctâ actione tota S. Trias creavit humanam naturam Christi: solus tamen filius Dei eam assumpsit & sibi univit.

XXV.

Forma unionis ostenditur & declaratur quatuor illis præcedentibus verbis, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀσυγχύτως, ἀχωρείτως. vide Damascenum lib. 3. c. 3.

XXVI.

Vocabulo primo ἀτρέπτως significat, λόγον factum esse carnem sine ulla mutatione, vel, ut loquuntur, alteratione sui vel naturæ assumptæ. Per hoc omnes damnati fuerunt, qui carnē vel humanam naturam in divinam conversam esse somniarunt: itemq; Apollinaris, qui incarnationem non esse factam docuit sine aliqua naturæ divinæ τῷ λόγῳ mutatione.

XXVII.

Secundo ἀδιαιρέτως notatur, duas naturas in unam personam ita esse unitas, ut nullo modo, nec cogitatione vel opinione nec re ipsa separatæ sint nec separari possint, quin ipsa persona solvatur. Hoc contra Nestorium, qui naturas duas divisit, & humanæ non minús atque divinæ ὑπόστασιν propriam tribuit; ideoque eas dixit tantum coniunctas esse καὶ ὑπόστασιν & ἁέσιν, hoc est secundum confociationem & modum assistendi & mutuam amicæ voluntatis relationem. Unde liquet, nobis immeritò hunc errorem impingi ab Ubiquitariis, qui non prorsus ab Eutychnismo sunt immunes.

XXVIII.

Tertio ἀσυγχύτως docetur, licet naturæ sint unitæ, nullam tamen ibi factam esse confusionem; sed naturas, proprietates, voluntates & actiones distinctas esse & manere. Hoc damnati fuerunt omnes errores Eutychiani; ut, naturæ humanæ in divinam conversio, & confusio proprietatum.

XXIX.

Quarto ἀχωρείτως declaratur, unionem esse factam sine ulla divisione, neque separabiles esse naturas, sed in æternum unitas permanere.

XXX.

Aliæ etiam particule à Damasceno lib. 3. cap. 3. adhibentur ad unionis modum explicandum, ut ἐνωσις ἐσιώδης unio substantialis seu essentialis, unde ἐσιώδως essentialiter facta unio dici potest, ἀδιάσπαστος sine distantia & intervallo, ἀνἀλλοιώτως sine variatione seu alteratione.

XXXI.

Οὐσιώδως significat, naturas divinam & humanam in Christo esse verè, non in speciem, unitas in unam compositam filii Dei ὑπόστασιν, atque ita hu-

manam naturam esse tanquam partem substantialem personæ mediatoris: *σωματικῶς* inhabitare *λόγον* in carne: humanitatem assumptam non tanquam accidens personæ *τῷ λόγῳ* inesse, nec unionem hoc sensu esse accidentalem.

XXXII.

Ἀδιασάτως notat, unam naturam nō distare & intervallis nullis discretam seu divisam esse ab altera; quia tota plenitudo deitatis in humana natura habitat, & tota humana natura assumpta est in unitatem totius naturæ divinæ. Hac particula quidam abutuntur, sic ratiocinantes: Naturæ sunt *Ἀδιασάτως* unitæ: ergo ubicunq; est divina, ibidem & humana. Resp. 1. Non est illud *Ἀδιασάτως*, urgendum contra τὸ ἀσυγχύτως. 2. Lumen solis & corpus solis, anima & caput *Ἀδιασάτως* sunt unita. Num propterea nusquam lumen, nisi ubi sol? nusquam anima nisi in capite? Cæterum hæc duo, *ἑσσιωδῶς* & *Ἀδιασάτως*, ut & *Ἀδιασάτως*, sub τῷ *Ἀδιασάτως* comprehendendi possunt.

XXXIII.

Ἀναλλοιώτως est, non esse naturas vel earum proprietates mutatas vel variatas; quod sub voce *ἀπερίσπῳ* intellectum fuit.

XXXIV.

Finis unionis est, ut fœdus inter Deū & homines sanciri posset & constans esset.

XXXV.

Effecta unionis sunt, 1. quod humana natura in se ditata & exornata est excellentissimis donis creatis, ideoque finitis, supra omnes creaturas; 2. quod divinæ & humanæ naturæ proprietates, voluntates & actiones ad unum *ὑποτέλεσμα* seu opus redemptionis conjunguntur & conspirant. 3. atque inde etiam, quæ unius naturæ propria sunt, de persona in concreto prædicantur 4. quam communicationem idiomatum appellant.

a. Johan. 3. 13. Act. 20. 28. 1. Corinth. 2. 8.

XXXVI.

Porró illa esse explicanda cum distinctione naturarum, liquet ex ipsa scriptura. Rom. 1. 3. 4. & cap. 9. 5. 1. Pet. 3. 18.

XXXVII.

Nusquam veró scriptura docet, quod naturarum unionem in Christo consequuta sit realis (ut loquuntur) divinarum proprietatum communicatio: & pugnat istud dogma cum modo unionis scripturæ convenienter explicato: item cum principiis theologicis, essentiæ nimirum divinæ simplicitate, & proprietatum essentialium ταυτότητι seu identitate cum essentiâ, &c.

XXXVIII.

7. 205. Cæterum, mediatorem oportuit esse Deum: 1. ut *λόγον* (sanguis nimirum pro electis effundendus) satis preciosum esset ad electorum peccata expianda a. 2. ut magnitudinem illius mali, quo humanum genus premebatur, ferre & Dei justitiæ satisfacere posset. 3. ut postquam merito sui sacri-

sacrificii electos Deo reconciliaffet, & Spiritum S. impetrasset, eundem etiam illis largiri posset, & efficere in illis fidem, meritumq; suum iis applicare: itemque eos contra Diabolum & mundum tueri.

a Act. 20. 28. 1. Johan. 1. 7.

XXXIX.

Homo veró mediator esse debuit, 1. quia quum homo peccarit, veritas & iustitia Dei requirebat, ut homo pro peccatis satisfaceret: 2. ut peccatam peccato debitam subire & pati posset; quod non potuisset, si solummodo Deus fuisset a: 3. ut ei uniri possemus, & tanquã membra ab eo ut capite, & ut palmites à vite vivificari: & ut genuini fratres optima nobis de illo polliceri b. a Heb. 9. 15. b Job. 15. 5. 1. Cor. 12.

XL.

Perfectum eũ hominem esse decuit: 1. quia totus homo peccarat, igitur totus corpore & anima debuit satisfacere, ut totum hominem servaret. τὸ πᾶν αὐτὸν σώσειν, ἀπὸ θανάτου, ut ait Damascenus. 2. ut verè fratrem nostrum eum esse intelligeretur.

XLI.

Opus veró fuit eundem iustum & sanctum esse: 1. quia secus à λόγῳ assumi non potuisset, quia Deus est ignis consumens. 2. ut sacerdos sanctus esset & sancta victima a. Si ipse peccator fuisset, pro aliis dependere non potuisset. a Heb. 7. 26. 1. Pet. 1. 19.

XLII.

Duas veró naturas uniri, & mediatorem θεῶν & ἀνθρώπων esse necesse erat, 1. ut utrique parti inter se reconciliandæ esset æquè cognatus, & carus utrique, & utramq; caram habens. 2. ut conjungi possent arctissimè volūtates & actiones ad idem opus redemptionis perficiendũ. Non suffecisset hinc πείρασμοις. Summa, ut unum ἀποτέλεσμα ex conjunctis proprietatibus & operationibus exsistere posset. 3. ut sanguis effundendus posset esse verè sanguis filii Dei; quod non fuisset, si duæ fuissent personæ. 4. per hanc etiam arctissimam unionem fit, ut humana natura potuerit quàm optimè ditari & exornari excellentissimis illis sapientiæ & potentia donis. 5. itemque ut nos etiam, media existente illa humana natura, arctè Deo conjungi potuerimus, ad excellentissimum salutis gradum obtinendum. Ita apparet scædus gratiæ citra θεῶν & ἀνθρώπων sanciri non potuisse. Huic Immanueli filio Dei unigenito & fratri nostro sit benedictio & honor & robur in secula seculorum, Amen.

APPENDIX.

Socrates hist. ecclesiast. libr. 1. cap. 33. Ego (inquit Nestorius) eum, qui menstrui spatii, hoc est, bimestris vel trimestris, & ita deinceps humano more adoleverit, Deum certè non appellavero. Cap. 32. Nestorius vocem Deiparam tanquam larvam reformatans declinat.

Damascenus libr. 3. c. 22. *ἡμετέραν ἑνωσιν καὶ ἰσὺν ἐνωμένην* in relato amicitia affectu & nuda in habitatione consistentem unionem Nestorio tribuit.

Videl. 3. c. 3. ubi sententiam Eutychis exponit, quod senserit unionem esse factam *καὶ συμμεμίχνην ἢ σύγχυτον ἢ σύγχυτον ἢ ἀνέχον*, hoc est, permixtione quasi massæ, confusione, commixtione vel contemperatione: Nestorii verò, quod unionem fecerit *ἡμετέραν ἑνωσιν, ἢ καὶ ἀξίαν, ἢ ταυτοθεσίαν, ἢ ὁμοουσίαν, ὁμοουσίαν, ἢ ἰσοουσίαν*, hoc est, personalem, duarum nempe personarum, secundum habitudinem seu affectionem, vel gratiam & participationem donorum, dignitatum, voluntatis consensum, honoris & nominis vel nuncupationis aequalitatem, beneplacitum seu mutuum complacendi actum. Cyrilus anathem. 3. Si quis in uno Christo dividit subsistentias, post unionem solum conjungens eas copulatione, qua est secundum dignitatem & auctoritatem, anathema sit. Vide etiam anathem. 3. 7. 8. 9. 11.

Evagrius libr. 1. ecclesiast. hist. cap. 9. Eutyches in Concilio Constantinopolitano, Confiteor, inquit, Dominum nostrum, antequam divinitas cum humanitate conjungere-
tur, ex duabus fuisse naturis. At post harum rerum conjunctionem, unam solum naturam in eo exstitisse affirmo. Libro verò 2. c. 4. de sententia Nestorii & Eutychis ita scriptum est: Alii mysteria incarnationis Domini pro nobis suscepta depravare, & vocem Deiparam, qua virgini Mariae tribuitur, denegare non sunt veriti: alii, confusione quadam & commixtione naturarum introductâ, unam eandemq; carnis & divinitatis naturam patibilem monstrôsè confinxerunt.

Isidorus lib. 8. etymol. cap. 8. Nestoriani à Nestorio Constantinopolitano Episcopo nuncupati, qui beatam virginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodò asseruit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis; neq; unum Christum in Verbo Dei & carne credidit, sed separatim atq; sejunctim alterum filium Dei, & alterum hominis predicavit. Eutychiani ab Eutychē Constantinopolitano Abbate, qui Christum post humanam assumptionem negavit exsistere de duabus naturis, sed solum in eo asseruit divinam naturam esse, &c.

FINIS.